

4.  
DEBITUM

Venerationis ac Pietatis Officium,  
Quô ingentem mœrorem

VIRI

*Præ Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi,*

DOMINI

JOHANNIS BESSERI,

Serenissimi Electoris Brandenburgici in Du-  
catu Magdeburgensi Regiminis ac Aulae  
Consilarii florentissimi,

*Conceptum ex præmaturo obitu*

*Incomparabilis Conjugis*

DN.

CATHAR. ELISAB.

KUHLEVVEINIÆ,

In omni feminei sexûs virtute & elegantia  
prælustris Heroïnæ,

*Heroicò Carmine consolatus est*

THEODORUS PAULI, D.

& in Academia Regiom. Prof. Juris Prim. Seren. Elect. Brandenb.  
Consiliarius, & Judiciæ Aulici Renim Crim. Præses.



COLONIÆ ad SPREAM,  
PER ULRICUM LIEBPERTUM, ELECT. TYPOGR.



Lebilis *Eurydicen* quondam cum perderet *Or-*  
*pheus,*

Qua tunc nulla fuit forma praestantior: & quae  
Hunc praeter nullum casto est dignata favore.  
Tunc Chorus aequalis *Dryadum* clamore su-  
premos

Implerunt Montes: flerunt *Rhodopeiae arces*  
Altaque *Pangaea* & *Rhesi* Mavortia tellus.

Ipsae cavas solans agrum testudine amorem,

*Te, dulcis Coniux, Te solo in littore secum,*

*Te veniente die, Te decedente canebat.*

Quin adiit fauces Erebi, Regemque tremendum

Et caligantem nigra formidine lucum,

Nesciaque humanis precibus mansvescere corda.

Attamen hic cantu demulsi blandulus orcum,

Ut Juvenis fuerint miserata & Tartara sortem.

Jamque pedem referens casus evaserat omnes,

Redditaque *Eurydice* superas veniebat ad auras.

Cum subita incautum dementia cepit Amantem,

Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes,

Restitit: *Eurydicenque* suam jam luce sub ipsa

Immemor heu! victusque animi respexit: ibi omnis

Effusus subito labor & dona irrita *Ditis.*

Quid faceret, quomodo se raptam bis Coniuge ferret?

Quomodo fletu Manes, quam Numina voce moveret?

Septem illum totos perhibent ex ordine Menses

Rupe sub aëria deserti ad *Strymonis* undam

Flevisse & gelidis haec ingemuisse sub Antris.

Postquam & marmoream Caput a Cervice revulsum

Gur-

Gurgite cum medio portans *Oeagrius Hebrus*  
 Volveret: *Eurydicen* vox ipsa & frigida lingua  
 Ah! miseram *Eurydicen* animâ fugiente vocabat:  
*Eurydicen* totò referebant flumine ripæ.  
 Hæc ita divinus recitavit Carmine Vates.  
 Sed, *BESSERE*, Tibi in luctu hõc fors plurima quadrant.  
 Namque etiam *Eurydicen* Tibi Mors rapit invida pulchram,  
*Deliciumque Animæ, Decus admirabile Sexûs,*  
 Cujus erat nemo præter Te dignus amore.  
 Hanc averfantem Thalamos, velut *Orpheus* alter,  
 Per tua Pleetra Deam traxisti in Vota jugalem.  
 Illa erat ex rigido jam bis Tibi reddita partu,  
 Unde pedem referens, superas remeârat ad auras.  
 Tertia at incautum vehementia cepit Amantem,  
 Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere fata:  
 Cumque animi victus properus respexerit ardor,  
 Contra quam dederat legem *Lucina* minacem,  
 Succubuit teneræ Flos nobilis ille Juventæ  
 Fataque traxerunt gelidam crudelia retro.  
 Quid faceres, quò Te raptâ sic Conjuge ferres?  
 Quò fletu Manes, quâ Numina voce moveres?  
*Lipsia, Berlinum, Divûmque Palatia* flebunt,  
 Quisquis & in pulchro veneratus Corpore dotes  
 Flebit. Tu solans memorem Testudine amorem  
*Te dulcem* (dices) *Te solam in Pectore mecum,*  
*Te veniente die, Te decedente dolebo.*  
 Qualis populeâ mœrens *Philomela* sub umbra  
 Amissos queritur foetus, quos durus arator  
 Observans nido implumes detraxit: ita æger  
 Fles Noctem, Viduusque sedens, miserabile carmen  
 Occinis; & mœstis latè loca questibus imples.  
 Cumque erit à fociâ quondam Mens carne revulsa,  
 Atque Anima ad rutilum resoluta volabit Olympum;  
 Tunc tua *KUHLWEINAM* moribunda & frigida lingua  
*KUHLWEINAMq;* iterum, vitâ fugiente vocabit:  
*KUHLWEINAM* & totus resonabit flebilis Æther.



**V**i bonus est, Sortis fiet *melioris* alumnus,  
In via Virtuti, credite, nulla via est;  
Exemplo BESSERUS adest, bonus Ipse, sed  
inde

Non poterat fatô non meliore frui:  
Res bona Conjugium est, tamen & meliora se-  
quuntur

Forma, Genus, Pietas, Dos, Amor, atque  
Fides,

*Optima* succedunt tandem melioribus, ergo  
Debit æternos vivere Pulchra dies.

Mundus hic est carcer, mala mansio; restat, ut  
inter


Coelicolas quærat, quæ potiora putat!  
O luctum reprime, & *spera meliora*, Marite!  
Numinis est *bona*, quæ datque rapitque,  
manus!

Regiom. Pruff.  
8. Cal. Febr.

*Nobilissimo Dno Viduo, Fautori hono-  
ratisimo, condolens scrib.*

G. WOSEGINIUS, Phil.  
& Med. D. Prof. P.





DEBITUM

Venerationis ac Pietatis Officium,

Quo ingentem

VIR

Prae Nobilissimi, Ampli

DOMI

JOHANNIS

Serenissimi Electoris Bra

catu Magdeburgensi P

Consilarii flor

Conceptum ex pra

Incomparabilis

DM

CATHAR.

KUHLEV

In omni feminei sexus


praelustris

Heroico Carmine

THEODORU

& in Academia Regiom. Prof. Juris

Consiliarius, & Judicii Au



COLONIAE ad SPREAM,

PER ULRICUM LIEBPERTUM, ELECT. TYPOGR.

